



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sect. IX. Argumentum de vi syllogisticâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

VI. Non est idem fundamentum statuentis distinctionem virtuales in Essentia.

In tabis: quidni ergo & in ipsâ Essentiâ in se, statuimus distinctionem virtuales, sicut inter Essentiam & Relationem? Respondetur, non habere nos idem fundamentum: Pater enim, ut vidimus, juxta Concilium Florentinum dat Essentiam Filio, non esse Patrem: unio hypostatica secundum Patres & Theologos fit immediatè in Personalitate Verbi, non in Naturâ, & alia sapius jam repetita: pro distinctione autem virtuali in Essentiâ nihil habemus hujusmodi.

SECTIO NONA.

Argumentum de vi Syllogisticâ.

I. Obj. ex distinctione virtuali everti vim syllogisticâ.

Obiiciunt quidè, per hanc virtuales distinctionem everti vim Syllogisticam, inmixta illi principio, Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: hoc, inquam, principium, & consequenter forma Syllogistica, quæ in ea fundatur, destruitur; in hac enim argumentatione, Hæc numero Essentia divina est Paternitas: sed Filiatio est hæc numero Essentia divina: ergo Filiatio est Paternitas: hæc negatur consequentia, & Paternitas & Filiatio quamvis identificentur cum Essentiâ divinâ, & de eâ affirmantur, non affirmantur tamen de se invicem: ergo quæ sunt eadem uni tertio non sunt eadem inter se.

II. Distinctio virtualis non destruit formam syllogisticam in divinis.

Varia ad hoc argumentum adhiberi solent responsiones, quæ videri possunt, apud P. Molinam hic, q. 28. art. 3. disp. 2. Suarez lib. 4. de Trin. cap. 3. Vasquez l. p. Disp. 123. & alios. Breviter dico distinctionem virtuales non everti vim syllogisticam, sed aperire viam, quo pacto conclusio illa, numero præcedente posita, quæ ab omnibus negatur, & negari debet, commode explicari possit.

III. Medius terminus virtualiter multiplex æquivale pluribus realiter distinctis.

Ad argumentum itaque respondeo: Quæ omni modo sunt eadem uni tertio, id est tam realiter quàm virtualiter, sunt eadem inter se; quantumvis enim aliquid sit realiter idem, si sit virtualiter diversum, perinde est, ut de cursu hujus disputationis ostendimus, ac si esset distinctum realiter; terminus quippe virtualiter multiplex æquivalere pluribus, habens nimirum in se virtutem plurium, ac proinde non minus capax est contradictorium, quàm si esset plura realiter distincta. Capax, inquam, est contradictorium, quæ scilicet in sensu diviso hujus distinctionis essent contradictoria; posita enim hac distinctione non affirmantur de eodem, ut omni modo eodem, sicque non sunt contradictoria, nullaque vi formæ syllogisticæ illatâ, esto affirmantur de tertio, cum nihilominus ita cum eo identificentur, ut virtualiter ab eo distinguantur, negari possunt de se.

IV. Virtualis distinctio arguit in Deo perfectionem.

Neque hoc (quod obiiciunt aliqui) est fidem nostram ludibrio exponere, sed Deo ob infinitam ejus perfectionem aliquid tribuere, quod creatam

omnem virtutem excedit: & sicut altissimum hoc, quodque intellectus cujuscuque creati captum superat, Trinitatis mysterium Deo, fide magistrâ, tribuimus, quod in creaturis reperiri non potest, quidni etiam aliquid cum hoc mysterio connexum, eidem tribuamus, ad quod nulla virtus creata affurgit? Sanè parum dignè de Deo opinatur & loquitur is, qui illum, creaturarum modulo metitur, ejusque amplitudinem, & illimitatam virtutem intra tam arctos terminos conscribit.

Deus verus creatorum modulo non est metiendus.

V. Res hæc confirmatur auctoritate Patrum.

Ad hujus confirmationem & declarationem veritatis appositissima sunt verba S. Anselmi, lib. de Incarnat. cap. 6. ubi de hoc mysterio loquens, sic habet: Si negat tria dici de uno posse, sicut nos in his tribus Personis, & uno Deo facemur, quoniam hoc in aliis rebus non videt, neque in Deo intelligere valet, sistemat paulisper aliquid, quod ejus intellectus penetrare non possit, in Deo esse, nec comparet naturam, quæ super omnia est libera ab omni lege & loci, & temporis, & compositionis, rebus aliis, & credat aliquid in ea esse, quod in aliis esse negueat. His similia habet S. Hilarius lib. 2. de Trin. Immensum est, inquit, quod exigitur, & incomprehensibile, extra significantiam est sermonis, &c. quæ tractando de hac materia affert Magister in 1. dist. 33. Quod etiam passim affirmant reliqui Patres.

S. Anselmus

S. Hilarius.

VI. Essentia divina, licet videatur terminus singularis, reipsa tamen est communis.

Aliam solutionem (si tamen aliam) adhibent nonnulli: Dicunt Essentiam divinam, quamvis videatur medium singulare, reipsa tamen esse commune, utpote tribus Personis à parte rei communicabilem, sicque, inquiunt, habet vim termini communis. Hinc fit, ut sicut in creatis, ubi medium est terminus communis, ut in hac & similibus argumentationibus: Petrus est homo, Paulus est homo: ergo Paulus est Petrus, consequentia est nulla, quia medium est quid commune, & non distributum; ut autem valeret consequentia dici deberet: Petrus est quicquid est homo, Paulus est quicquid est homo: ergo Paulus est Petrus; at tam major quàm minor statim apparet falsa.

VII. Quo pacto argumentatio hæc fieri debet in Divinis.

Eodem ergo modo in præsentis, si quis dicat, Paternitas est Essentia divina, Filiatio est Essentia divina: ergo Filiatio est Paternitas, consequentia similiter est nulla, quia medius terminus, nempe Essentia divina, est quid commune, & à parte rei tribus Personis realiter distinctis communicabile, & cum iis actu identificatum. Unde, ut vis argumentandi teneat, distribui hic etiam debet medium, & dici, Paternitas est quicquid est hæc numero Essentia, Filiatio est quicquid est hæc numero Essentia: ergo Filiatio est Paternitas, sed major & minor sunt omnino falsæ.

VIII. Hoc mysterium nodus est humano ingenio insolubilis.

Hæc sunt, quæ de inscrutabili hac difficultate, nodoque humani ingenii viribus insolubili, dicenda habui. Aliquid nimirum pro instituto audendum fuit: si quis tamen hæc minus probaverit, & melius quidpiam suggererit, atque in quo animus magis acquiescat, libens amplectar.